Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31638
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ex ista sententia. Nam licet beati sunt imma-
culati qui ambulant in uia. id est in ipso domino
saluatore: et in lege eius deuota mente gradiun-
tur. additum est tamen illis uirtutibus. qui
scrutantur testimonia eius. Et que sit ipsa per-
scrutatio. subsequenter aperitur. id est qui in to-
to corde suo dominum exquirere maluerunt. Vi-
dentur enim perscrutare testimonia eius. et tergi-
uersatores heretici. sed toto corde dominum non re-
quirunt. quoniam per humanas uersutias. affec-
tant nouas inuenire calumpnias. Totum
enim cor suum ad scripturas sanctas merito posuis-
se non dicitur. qui ad falsitatis ambitum plectibi-
li errore transfertur. Unde sanctus primasius ius-
tinianopoleos disertus antistes. sub titulo
quem ad hereticum facit. librum unum conscrip-
sisse dinoscitur. Nec illi uidentur totum cor suum
ad domini testimonia posuisse. qui neglecta
disciplina mandatorum eius mundana gau-
dia concupiscunt. Et uide ordinem sancte uera-
cisque doctrine. Prius dicit beatos esse qui am-
bulant in lege domini. deinde qui scrutantur
sacrarum testimonia litterarum. quia non est dignus
ista perquirere. nisi qui se probabili actione cog-
noscitur tractare. Utrasque uero sententias ter-
cia species definitionis amplectitur. que gre-
ce poidis. latine qualitatiua dicitur. Beatus uir
quid sit per actuum suorum hic ostenditur qualitatem.

Non enim qui operantur iniquitatem. in uiis eius
ambulauerunt. Cum iohannis apostoli ueracia uer-
ba sint. si dixerimus quia peccatum non habemus
nos ipsos seducimus. et ueritas in nobis non est. ui-
detur nec sancti in uiis eius ambulare quos cognos-
cimus habere peccata. Verum hec questio
ueritatis ipsius uoce dissoluitur. Sunt enim
illicita desideria. que originalis peccati ne-
cessitate committimus. sed eius consensu ani-
mo non tenemur. Iustis mens beata non ambu-
lat. que dono domini cordis puritate superantur. ut
uerbi gratia repente aliquid pulchrum concupiscere. et
cibum desiderantem expetere. bonis odoribus
commoueri. iniqua sibi suggestione confun-
di. et his similia que oratione sancta et crucis
signaculo destruuntur. Ita fit ut peccata sancti
suggestione carnis habeant. et tamen dum
eis minime relaxatur effectus. ea non operari
ueraciter estimentur. Hec enim pauli apostoli testi-
moniis euidentius approbantur. Ambulauit
in uiis domini. quando dicebat. Bonum certamen
certaui. cursum consummaui. et
reliqua. Peccatum autem non uoluntarium
faciebat. quando clamabat. Non enim quod uolo
bonum hoc facio. sed quod nolo malum hoc ago.
Sequitur eius expositio. que omne neuum du-
bitationis abstergit. Si autem quod nolo inquit
illud facio. iam non ego operor illud. sed quod habi-
tat in me peccatum. Vides tantum illos ac-
cusatos. qui operationibus peccatorum nefan-
da delectatione consentiunt. Quapropter me-
rito dicuntur in uiis domini non ambulare. qui in-
iquitatem operantur. Operatio enim iniquitatis est
consensus malorum. qui tamen a sanctorum cordibus
dono domini probatur alienus. Nam et ipse apostolus
hoc monet. Non ergo regnet peccatum in uestro
mortali corpore. ad obediendum desideriis eius.
nec exhibeatis membra uestra arma iniquita-
tis peccato. Et salomon. Post concupiscenti-
as cordis tui ne abieris. Obedientiam ergo pecca-
ti uetuit. non suggestiones quas caro propriis
uiribus uitare non preualet. Respiciamus
autem cur hic uias plurali numero posuit.
et superius singulariter dixit. beati immaculati
in uia. Ibi significat dominum saluatorem. qui
certa uia est ad dominum patrem uenientium. sicut
ipse dixit. Nemo uenit ad patrem. nisi per me.
Nam quod hic dixit in uiis. designat prophetas et
apostolos. uel quicumque populum uera predicatione
docuerunt.

Tu mandasti mandata tua